



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Enarratio Epistolæ Prioris Ad Timothevm, Et Dvorvm Capitum secundæ

Melanchthon, Philipp

Vitebergæ, 1561

VD16 M 3167

Corporalis exercitatio ad modicum est utilis, pietas ad omnia &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36308**

## I. EPISTOLA AD

est, tamen nondum reddit totam sententiam dicti Paulini, Sed quia fit mentio fidei oportet completi Euangelium, Nec tantum intelligatur fides de noticia historie, sicut dicunt, Honeſta opera hominis Ethnici non placent Deo, quia non est in professione Christiana, Sed intelligi oportet veram fidem quæ accedit ad Deum fiducia Mediatoris, & inuocat eum, ubi talis fides non est, Sed cor agit contra conscientiam, aut manet in dubitatione, ut suspendens furem, & tamen existimans se contra Deum facere, non potest inuocare Deum, & agit cum contemptu Dei.

Sit igitur nota hæc regula Pauli, & rectè intelligatur & præluceat omnibus actionibus, & ne quid faciamus contra conscientiam, & ut conscientia regatur uerbo Dei ac possit accedere inuocatio, uidelicet omne quod non est ex fide peccatum est.

*Corporalis exercitatio ad modicum est utilis, pietas ad omnia &c.*

Utilis distinctio est inter necessaria & necessaria opera, electa exercitij nostri causa sunt ieiunia, uel alij labores suscepti ad frangendum corpus, Ac semper in Ecclesia externe seruatione

seruationes multum disputationum pepererunt,  
quia uel propter ordinem, uel propter exercitia,  
externæ aliquæ obseruationes humano consilio  
instituantur aut suscipiuntur, quæ postea super-  
stitione deprauantur, cum affingitur opinio me-  
riti, cultus aut necessitatis. Ideo etiam uetustas  
taxauit superstitionem iuxta dictum memorabi-  
le Athanasij, καλὸν ἡ ἄσκησις μετὰ ἀληθῶς  
γνώσεως, ἢ συμμετρίως.

Vt autem rectè iudicetur de ritibus humanis,  
totum corpus doctrinæ tenendum est, Sicut hic  
quoq; Paulus facit antithesin necessariorum &  
non necessariorum. Pietas utilis est ad omnia.  
Nominat autem pietatem simul fidem & omnes  
necessarias uirtutes, seu omnia opera nobis man-  
data diuinitus, Et ualde insignis sententia est,  
quod ait promissiones præsentis & futuræ uitæ  
pietati propositas esse, Et addit expressam asse-  
uerationem, Certus est sermo & firma assensione  
amplectendus.

Hanc dulcissimam & maximè necessariam  
doctrinam de duobus generibus promissionum  
oportet familiarissimè notam esse. Ac primum  
quod ad Euangelium attinet, continet promissio-  
nem remissionis peccatorum, & restitutionem  
uitæ æternæ per filium Dei, & propter eū, quod  
manifestissimum est, Constat enim hanc esse prin-  
cipalem

I. EPISTOLA AD

ei palem uocem Euangelij, missum esse filium Dei,  
ut aboleat peccatum & mortem, & restituat ui-  
tam eternam

Sed cur dicit Euangelium habere presentis  
uite promissionem, cum Ecclesia sit subiecta cruce  
cruci? Item cum dicit Dominus Matth: 24. Interfici-  
ent uos & eritis odio omnibus hominibus pro-  
pter nomen meum, Et Luca 9. Filius hominis non  
habet ubi reclinet caput? Hæ sunt predictiones  
mortis, non uite presentis? Sed respondeo utrius-  
que propositio uerissima est, Et subiecta est Ec-  
clesia cruce, & tamen habet promissionem bono-  
rum corporalium, sicut coniungit hæc Dominus  
Mar: 10. Recipiet centuplum, sed cum tribulatio-  
ne. Et Esaiæ 30. Audiet clamorem tuum, & dabo  
uobis panem & aquam in angustia & dolore.

Cum enim Deus uelit in hac mortali uita  
inchoari & colligi Ecclesiam, seruat eam, præstat  
ei hospitia, fruges, & economias, politias, facultates  
propagandi sobolem, et Ecclesiam, sicut ipse Do-  
minus inquit Matth. 6: Scit pater uester cœlestis  
his omnibus uobis opus esse, Primum querite regnum  
Dei, & cetera adjicientur uobis. Item  
Psalmo 32. Enutriet & alet eos in fame, imo  
propter Ecclesiam Deus & ceteras gentes  
bona corporalia conseruat, Postquam autem

uersa Ecclesia electa fuerit, nec fuerint plures electi in genere humano, mox cessabit hæc mortalitas uita, & fiet extremum iudicium.

Est autem promissio bonorum corporalium generalis, non alligata certo loco, ut Israëlitis alligata erat ad certum locum, Et semper in hac uita rata est uniuerso cœtui. Ideo semper in hac uita seruat Deus aliquam suam Ecclesiam, etiam si multa membra interficiuntur, ut si uictoria promissa esset exercitui, rata & uera est promissio, etiam si aliqui milites interficiuntur.

Secundò promissio corporalis semper intelligatur cum exceptione castigationis & crucis, Vult Deus utrumq; exerceri in petendis bonis corporalibus, fidem & obedientiam. Vult Abraham uitam & familiam custodire, sed ita, ut regatur Abraham non solum humanis consilijs, sed fide, inuocatione Dei, & à Deo petat & expectat auxilium, iuxta dicta Ierem: 17. Maledictus qui confidit in homine & ponit carnem brachium suum. Item Zacha: 4. Non in robore non in exercitu, sed in Spiritu meo dicit Dominus.

Vult etiam hoc scire homines, se uerè irasci peccatis, & horribiliter punire lapsus, ut simus diligentiores in nobis frenandis, Sicut tristissimæ pœnæ secutæ sunt lapsus Dauidis, Salomonis & c.

I. EPISTOLA AD

Et tamen inter has pœnas aliquod semen Ecclesie  
semper seruatum est, ut in exilio Babylonico.

Ita uidemus promissionem corporalem similia  
ter ratam esse propter gloriam Dei, ne extingua  
tur agnitio Dei in genere humano, & in petiti  
ne hunc finem intueamur Psalmo 114. Non nobis  
Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam  
Item, Non mortui laudabunt te Domine, Exerce  
mus igitur & fidem & obedientiam in petitione  
et expectatione corporalium bonorum, sicut Do  
minus iubet petere panem quotidianum, & illi  
stultas superstitiones eorum execremur, qui has  
petitionem nolunt interpretari de rebus corpo  
ralibus.

Semper autem in conspectu sunt hæc quædam  
causæ, propter quas Deus & tradidit promissio  
nes corporales, & uult ea bona peti. I. est, quod  
uult intelligi hæc bona non spargi casu sine consilio  
& uoluntate Dei, sed Deum suo consilio  
fouere naturæ uires, uel deserere, uel dare faci  
tates, uel non dare.

Primum igitur sit in nobis hæc fides de prom  
dentia, quod non casu spargantur hæc bona  
consilio Dei. Nam hæc fides est fundamentum  
petitionis & gratiarum actionis. Et sunt  
aliqua testimonia Deut: 8. Non in solo pane  
uet homo, sed ex omni uerbo, quod procedit

TIMOTH: CAP. IIII. 65

ore diuino, Deut: 30. Ipse est uita tua, & longi-  
tudo dierum tuorum Acto: 17. In ipso uiuimus, mo-  
uemur & sumus. Matth: 10. Omnes capilli capi-  
tis uestri numerati sunt. Prouerb. 10. Benedictio  
Domini diuites facit. Prouerb. 3. Egestas à Do-  
mino in domo impij. Iere: in Threnis capite 3.  
Quis est iste, qui dicit fieri hæc non iubente Do-  
mino, Ex ore Domini nec bona nec mala egredi-  
entur?

Sequitur ergo deinde altera causa. Cum cer-  
tissimum sit hæc bona diuinitus dari, utroq; modo  
uult Deus exerceri fidem, petitione et gratiarum  
actione, Vult se agnosci creatorem esse & dato-  
rem uitæ & uictus, uult hoc celebrari in petiti-  
one & gratiarum actione, Sicut dicit Psalmo 50.  
Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, &  
glorificabis me.

Tertia causa est, Hæc promissiones sunt testi-  
monia de conseruatione Ecclesiæ in hac mortali  
uita, ideo enim dantur, ne intereat Ecclesia, iuxta  
illud Psalms 114. Non mortui laudabunt te Domi-  
ne. Item Matth: 6. Primum querite regnum Dei  
& cætera adijcientur uobis.

Quarta omnes promissiones corporales sunt  
commonefactiones de spiritali uidelicet, de filio  
Dei, quia nec inuocare Deum possumus, nisi prius  
sciamus nos recipi & exaudiri propter Media-  
torem,

K

I. EPISTOLA AD

tozem, Hæc fides in omni petitione etiam corpora-  
ralium bonorum præluceat, ita perspicuum est  
cum fides petit corporalia simul oportere exer-  
ceri petitionem spiritualem.

Hæc tota doctrina de promissionibus spiritua-  
libus & corporalibus notissima sit omnibus, &  
quotidie in inuocatione exerceatur, in qua publi-  
ca & priuata bona petenda sunt, salutaria reg-  
mina, pax, uictus, bona ualetudo & alia bona. In  
his exercitijs fiet doctrina magis perspicua, &  
crescet fides, quæ experietur hanc inuocationem  
non esse irritam, Sciamus etiam Deum hæc ex-  
ercitia postulare, & hanc inuocationem esse con-  
tum Deo placentem in credentibus, Sicut inquit  
Psalmo 50. Inuoca me in die tribulationis &  
eripiam te.

*Esto typus fidelium in ser-  
mone &c.*

**Q**uanquam exempla in gubernantibus  
gis conspicua sunt, tamen hæc sententia  
Pauli communis regula est, quam singuli intue-  
tur in totius uite gubernatione. Nominat autem  
ordinè hæc membra. *Esto typus in ser-  
mone, id est, in doctrina, rectè doceas, rectè  
non sophisticè loquaris de doctrina et mem-*